



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs  
Illvstratvs**

**Bessel, Friedrich  
Reinhard, Johann Friedrich**

**Helmestadii, 1667**

Cap. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10996**

*Ingens valde foret licet, & nimis acriter orta,  
Auctores ejus privari lumine quosdam.  
Exilio reliquos damnari jussérat ipse  
Rex summè prudens, cuius clementia nulli  
Reddiderat dignam tanto pro crimine pænam,*

*Luminibus orbati.) Frequens per ea tempora inter graviora nonnunquam  
Supplicia erat excavatio, cuius in omni ferè historiâ exempla reperire licet.  
Bellisarium strenuum illum ducem, simili poenæ genere, oculis, ex invidia,  
privatum stipem emendicâsse novelli produnt Historici, Raphaelis Volater-  
tan lib. xxxiiii. Anthrop. ac Petri Criniti lib. ix. cap. 6. auctoritate nixi. Nescio,  
unde tantâ quidlibet fingendi homines isti sibi sumperint licentiam, cum  
nullus veterum ejus rei vel verbulo meminerit. Et si quid video, inde  
tracta est narrationis series, quod conspirationis quondam in Imperato-  
rem particeps sit habitus; sed absolutum eundem clare tradit Sigebertus  
ad ann. 562. scripturus utique si tale quid tanto viro contigisset. Rationem  
ejus supplicii hanc fuisse puto, quod homines infideles & impudentissimi,  
nobilissimò fidelitatis ac verecundia organo privarentur.*

## CAP. XXI.

**C**œterū per omne vitæ suæ tempus, ita cum sum-  
mo omnium amore atque favore, & domi & foris  
conversatus est, ut nunquam ei vel minima inju-  
stæ crudelitatis nota à quoquam fuisset objecta. † 2.

\* MS. in  
eis suscipi-  
endis. *Amabat peregrinos, & \* eorum suscipiendorum magnam  
habebat curam, adeo, ut eorum multitudo non solùm pa-  
latio, verum etiam régno non immerito videretur onero-  
sa. † Ipse tamen pro magnitudine animi, hujuscemodi 3.  
pondere minimè gravabatur, cum etiam ingentia incom-  
moda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compen-  
saret.*

## ANIMADVERSIONES

## AD CAP. XXI.

**A** *Mabat peregrinos.) Vitio vertunt hoc peregrinorum studium Carolo  
multi, & inter cæteros Vir magnus, qui Historiam seculi ix & x. nuper  
complexus est, in Carolo M. p. 5. Sed præter Huldericum Mutium lib. lxx.  
ces*